



(XIV.B.47.)

9388

III. RENISSIMI ATq; POTEN-
TISSIMI
PRINCIPIS
VLADISLAI IV.

Magni Polonorum ac Svecorum

REGIS
Boruſſorum Ducis, &c. &c.

Pii, Felicis, Inclyti

Triumphatoris semper Augusti
SOLENNIS

In Vrbem Boruſſiae Primariam

THORVNIA M.

INGRESSUS.



THORUNII,

Excudebat FRANCISCUS Schnellボルグ.

Anno M. D. C. XXXV.



388

Domine in virtute tua laetificabitur Rex et super salutare
tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis ejus
tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.
Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: po-
susti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Magna
est gloria ejus in Salutari tuo: gloriam et magnum
decorem impones super eum. Quoniam dabis eum in
benedictionem in seculum seculi: laetificabis eum in gaudio
cum vultu tuo. Quoniam Rex sperat in Domino: et in
misericordia altissimi non commovebitur.



Vanto opere gavisus sit Populus
universus Thorunensis, compos latti hu-
jus nuncii factus, Regem Suum de Oriente
& Septentrione gloriose triumphantē, Ci-
vitatem hanc Borussiæ primariam petere;
vel ex hoc intelligi potest, quod concepti
ex ea re, gaudii vis, non contenta privatis
cancellis includi, in occursum S^e. R^e. M^{tis}. totam fese effluerit:
Constituto enim à S^e. R^e. M^{tis}. Sui in hanc Urbem ingre-
sus, felicissimo & auspicatissimo **XIIII**. Januarii die, cum & ipse
Sol antea per multas Septimanas nubibus obductus, discusso
eo ipso tempore radiis Suis tristis imaginis terrore, l^tetum ali-
quid, nostrum nimirum SOLEM Regem VLADISLAUM
Urbi adfuturum nunciasset; confessim ut eo honorificentior
Magni & Cari Principis foret exceptio, plurima quæ adven-
tum Ipsius cohonestarent, parabantur, Parietes atq; fene-
stra longo tractu preciosissimis peripetasmatibus, exornatæ.
Tormenta bellica in vallo & propugnaculis Urbis disposita.
Exstructus magnæ molis Arcus Triumphalis. Instituta ali-
quit agmina exercitus è Civium numero, rursus eadem distin-
cta in cœlestres & pedestres phalanges atq; cohortes, quarum
pars S^e. R^e. M^{tis}. obviam procedere parabatur, pars in propu-
gnaculis & viis publicis locabatur. Summa, nullis Senatus
Populusque sumptibus ad cohonestandum tantum Principem
pepercit nec quod ad gloriæ ipsius magnitudinem pertineret,
quicquam omisit. Cum itaque omnia apprime apparata,
S^e. R^e. M^{tis}. adventui inhiarent desiderioque maximo visendi
Illiū exspectatissimi vultus tenerentur, nuncium allatum
S^m. R^m. M^{icm}. loco ubi noctem feliciter transegit, pedem movis-
se, rectaq; versus Urbem viam instituisse: Cives hoc animad-
verso, mirum, quantum non allati istius gaudii insolentia exul-
tarunt! nil nisi diffusissimam hilaritatem, non nisi vota loqua-
ti; adeò ut congratulantium & applaudentium vocibus ipsum

Cœlum reboare quasi audiretur. Plebis turmæ totiusque vulgi utriusq; Sexus innumerabilis multitudo plateas impletvit. Desiderium videndi Regem alios tecta concendere , alios pendere tegulis fecit. Omnes fenestræ omnes rimulæ sat spectatorum sustinebant. Missi interea duo è numero Senatus ut R^m. M^{tem}. nomine Civitatis salutarent qui milliare unum extra Civitatem prope fines ejusdem proiecti S^m. R^m. M^{tem} inibi expectabant; Hos seqvebantur tres cohortes equitum, quilibet sub vexillis Centuriata , quarum singulæ ordine, laciniam, militari gressu in occursum S^a. R^a. M^{ts} una cum DD. Ablegatis procedentes non longe à finibus, in aprico & equitabili campo adventum Serenissimi præstolatæ sunt. Paulo post apparuit Sa. R^a. M^{ras} cum Illustrissimo ac Splendidissimo Palatinorum aliorumq; Regni Senatorum, Officialium, atq; Aulicorum comitatu, Stationiq; equitum appropinquans & omnes obvios sibi venerabundos cernens substitit quem instar omnium ita affatus Nobilis ac Spectabilis Dn. SALOMON SCHULCZ.

Sacra ac Serenissima R. Majestas Dñe. Dñe. Clementissime.

Audabilis semper cessit utilitati fidelibus subditis decens & sincera Principum Suorum veneratio, externis etiam pro rei & occasionis exigentia, factis contestata. Ea enim & illorum erga Principes interioris affectus monumentum, & horum erga subditos intensioris amoris esse solet incitamentum. Nunquam non eam summæ curæ fu-

fuisse Civitati Thorunensi, à prima inde, eaq; Spon-
tanea ad inclytum Poloniæ Regnum accessione
libri memorandorum ejus testantur, eademq; eti-
amnum etsi opum magnificentia & virium robore
multis, pio certe in Principes suos affectu nemini
cedit. Postquam igitur Senatui Civitatis ejus in-
notuit Sereniss. R. M. Vestram iter suum hāc versus
dirigere, noluit fidem recenti juramento firma-
tam, muris vallisq; Civitatis terminari, sed adven-
tanti ad fines ditionis Suæ, S.R.M. Vræ nos è medio
sui delectos obviam progredi, ejusdemq; fidei in-
tegritatem, cum humilima obsequiorum suorum
promptitudine hic contestari jussit, ut ostende-
ret, nihil se domi tam charum, nihil foris tam am-
plum habere, quod non Clementissimæ liberalitati
Divorum Poloniæ Regum acceptum ferat, quodq;
tutelari S.R. M. Vestra non lubens committat præ-
sidio. Nec immerito: Videt enim felicissima for-
te geri quæ S.R.M. Vestra prudentissimo reguntur
imperio. Ut reliqua taceamus, testes sunt res
S.R. M. heroica fortitudine, ac prudenti celeritate
in Oriente æquè atq; Septentrione præclare ac fe-
liciter gestæ, quæ præter cætera S.R. M. Vestra cel-
fissimi nominis gloriam omni æternitati consecrant.
De quibus, uti R. Majestati Vestra Senatus & tota
Civitas Thorunensis ex animo gratulatur, ita di-
vinum Numen ardentibus votis implorat, ut quam
in pacandis illis Regni finibus indulxit, eandem S.
R.M. Vræ conatibus, circa has partes occupatis, be-
nignissimam felicitatis adspiret auram, quo nobis

quoque aurea pax resfulgeat, adeoque universum Poloniæ Regnum undiquaque desiderata coroneatur quiete. Nunc verò S. R. M. Vestram eā qua, decet animi submissione ac reverentia ad Civitatem invitat Senatus Populusque Thorunensis cum desiderio S.R. M. Vestræ felicissimum augustissimumque adventum præstolans, reliqua ibidem & debitiæ venerationis, gestientisque super triumphis Sereniss. Reg. Majestatis Vestræ conceptæ lætitiæ exhibitus monumenta.

Finito sermone S. R. M. adhæc vicissim, Reverendissimum Dñum. PETRUM GEICKY Secretarium Majorem, Gratissimum sibi esse congratulantis Civitatis hujus occursum acceptissima quibus se prosequitur officia: Nihil quod norit pertinere ad conservandam & amplificandam Civitatem, omissuram, solita ipsam semper gratia amplexuram, respondere jussit. Vix talia Reverendissimo Dño. Secretario ad finem perducente factus illico multarum tubarum & tympanorum applausus. Ipsa S.R.M. iudicra equitum velitatione recreabatur. Dum vero jam paululum ultra medietatem Cœli Sol processisset, S. R. M. equo generoso insidens ingenti cum comitatu cohortibus Civitatis à R. M. primis equitantibus ad suburbia pervenit, mox hujus rei accepto signo machinæ majores æneæ, longa serie in fortalitio Urbis dispositæ tonitruationes Suas effuderunt. Veniens postmodum SERENISSIMUS in conspectum Civitatis, à toto Senatu qui jam ad Vallum Urbis præstolabatur honorificentissime per Secretarium MATTHIAM RICHTER verba in hunc modum facientem salutatus est,

Sacra

Sacra ac Serenissima Regia Majestas Domine, Domine longe Clementissime.



Vod unicum hactenus, Civitas hæc maxime in votis habuit, ut S.R.M. Vrm. omnibus omnium Statuum & Ordinum suffragiis ad Augustissimum Paterni regiminis Solium, enectam, sacroq; Regni diademate cinctam & in auguratam, primo quoq; tempore intra moenia sua, salvam, prosperam & in columem salutare, oculisq; sibi suis coram venerari licuisset, id nunc ex animi voto evenisse, D E O in primis Opt. Max. immortales agit gratias, sibi vero de tanta felicitate gestientibus, & applaudentibus omnium Civium animis, mirum quantum gratulatur. Invaluit enim jam opinio adversis quibusdam Civitatis hujus Fatis accidisse, quod cum in tantis omnium S. R. M. V. subditorum studiis, plurimas eorum pars augustissima S. R. M. Vræ præsentia recreata, beataq; esset, hæc vna ferè omnium desideratissimi Principis ac Domini sui conspectu diutius carere, necesse habuisset. Nunc in ipso diutioris moræ tædio, præsentiq; S. R. M. Vræ expectatissimo adventu, tantum abest, Civitas hæc fælicitati suæ aliquid hactenus detractum sentiat, ut & eo ipso singulare quoddam Dei erga se agnoscat beneficium: illudq; admirabili ejus povidentiæ,

tiæ, Sacræ vero ac Sereniss. Reg. Majest. Vræ, benignissimo sideri acceptum ferat. Posteaquam enim S. R. M. Vra, suscepit feliciter Regni gubernaculis, fracto fortiter Septentrione, pacato salubriter Oriente, **Rex Maximus Victor felicissimus, Triumphantor gloriofissimus**, die hodierna Civitatem hanc ingrediatur: quis est, qui non intelligat occulta quadam Fatorum dispositione, factum esse, ut, quo videndi Regem ac Dominum Suum Civitas hæc maximo hactenus ardebat desiderio, illud non ante prudens largiretur Fortuna, quam S. R. M. Vram gloriofissimis victoriarum ac Triumphorum ornamentis, decoratam, Terris hisce Prussiæ suspiciendam venerandamq; exhibuisset, eoq; ipso conceptam dudum Civitatis hujus lætitiam, perfectam prius, omnibusque numeris absolutam reddidisset. Veneratur hoc tam memorabile Civitatis Fatum in summa S.R.M. Vræ felicitate, Sp. Senatus, totaq; Urbis hujus communitas: neq; satis sibi ad contestandam, animorum suorum lætitiam, existimavit Sacræ ac Sereniss. R. M. Vræ in primo statim augustissimo frontispicio per Internuncios suos in occursum venire; quin & ipsa omnis totis effusa manibus ad S.R.M. Vræ pedes gratulabunda provolveretur. Et vero haud quicquam tale, quod vel S.R.M. Vra, cui se suaq; omnia jam dudum de votit, requirere, vel Civitas ipsamet dignum tanto Principe existimaret, majus quid invenit, quam ut hunc, quo juxta

juxta Immortalem mortalibus in Terra Diis præstantius quid præstari nequit, devotissimi animi cultum humilime offerret. Dignabitur eandem Sacra ac Sereniss. R.M. Vra paterna complecti, Regiaq; suscipere gratia: Civitas vero hęc in constanti debitę fidei & humilimę subjectionis studio, perpetuoq; erga S.R. M. Vram, & Inclytam Rempubl. obsequio semper annabit, durabit, perrennabit. Verum, ne prolixiori sermone S.R.M. Vre Sp Senatus molestus esse videatur, jam quod res est, S. R. M. Vre more majorum Claves portarum Civitatis humilimo animo offert, eoq; argumento, se, Civitatem, Cives, bona, Fortunas, vitam deniq; ipsam, & quę vitā chariora habet jura & libertates suas in augustissimum S. R. M. Vre sīnum, fideliter reponit, eaque omnia, clementissimo R. M. Vre patrocinio humilime iterum atque iterum commendat. Divinam vero Majestatem, votis quibus potest ardentissimis precatur, ut S.R.M. Vre constantem corporis valetudinem, fortunatos rerum omnium successus, felicia fortunarum Regiarum incrementa, ulteriores de Hostibus triumphos, ac in primis hoc largiri Cœlesti gratia dignetur; ut, quâ felicitate S. R. M. Vra Dominus noster Clementiss. ditiones suas è dupli parti pacatas jam reddidit, eandem quoq; & in hac Regni parti pari successu tertiare, desideratissimamque afflictissimis hisce Terris Prusię tranquillitatem restituere valeat, memorandus in omne ēvum Princeps pacificus, Rex maximus, Victor felicissimus, Triumphantor gloriōsissimus. B Re-

Reuerendissimus Dñus Secretarius Ma-
jor nomine S.R.M. vniuersum Senatum in-
hunc modum, vicissim resa-
lutavit.



Vox sibi pridem Sacra R.M.
Dominus Clementissimus, vel in-
privati Principis statu, de propensif-
simo hujus Civitatis studio pollicitus
est, id hodierna die, cum illam & Re-
gali dignitate effulgens, ac non minus bello quam pace
gloriosus, ingreditur, cumulate agnoscit. Quid enim
iste omnium Ordinum, populiq; effusissimus occur-
sus? quid gestiens animorum lœtitia, vultibus impref-
sa, ostendit? nisi syncerum & optimum erga Regium
caput, fidet Civitatis affectum, qui quidem constantif-
simæ fidei & obsequii contestatione, multo se se ma-
nifestius prodit.

Ac ut per benignis oculis S.R.M. hēc Senatus
Thorunensis officia intuetur, ita grato Regioq; ani-
mo complectitur, existimatq; quidquid in significatio-
nem officii, ac publicæ lœtitiae argumentum institu-
tum est, à singulari & optima voluntate Urbis esse
profectum.

Gratulatio victiarum & pacis, tam à Septentrio-
ne quam Oriente stabilitæ, non minus est jucunda &
accepta eidem S. R. M. ita enim demum suscepit pro
communi salute labores Regibus & Principibus dul-
ces esse solent, cum eorum magnitudo in animis, &

re-

recenti memoria Subditorum exsculpta, non obscura commemoratione celebratur. Quidquid vero utrobiq; gestum & confectum est, id S. R. M. non propriæ felicitati, non Vigilantia Regiæ, non Exercituum fortitudini, sed omnis felicitatis Authori, & Regnorum conservatori, D E O lubens & grata, it fertque acceptum.

Ut porro & in hanc oram Provinciamq;; auream tranquillitatem inferat, quantum per adversæ partis contumaciam licebit, non postremæ S.R.M. curæ esse existiment, quod vel ex præsenti ad Eam adventu, facile conjici potest, quem nullo dato post tot laborum & maximorum itinerum jactationes ad quietem tempore, nihil aliud nisi maturandæ & restaurandæ pacis, studium elicuit.

Quod autem statum & commoda hujus Civitatis attinet, ita sibi persuadeant, S. R. M. præcipuo eam favore complecti, ac cum multis ad id causis exciteatur, tum illo in primis præclaro & memorabili ad posteritatem fortitudinis fideiq; exemplo, cum Hostem magna celeritate ad Urbem advolantem, murisque jam & Portis ferme potitum, imperterrita & infracto animorum viriumq; robore propulsare non dubitavit, & ob magnam cladem jacturamq; militum, frementi, retrocedendi imposuit necessitatem, ita multo gloriösius esse existimans, per fortitudinem masculam & fidem æviternum sibi & posteris decus comparare, quam per ignaviam, vel perfidiam Hosti sese transmarino turpiter referatis Portis, nefando exemplo, prostituere. Dignum facinus quod non modo in ani-

animis Regum, verum etiam in omnium Urbium æditi-
bus, tanquam magnæ virtutis & fidei monimentum,
insculptum & expressum extet. Et quidem S.R.M.
Civitatem insigni fide erga se & officio præstantem,
non modo adventu suo recreare dignata est, sed etiam
more majorum suorum, ac in primis Regum VLA-
DIS LATORUM, qui ante alios felici quodam fato,
benignius huic Provinciæ & Civitatib. varia munificen-
tia fulserunt, cum ipse nomen tam beneficium & au-
spicatissimum gerat, diversis beneficiis exornandam
judicat. Quapropter quicquid ad tuenda Jura, &
Privilegia, ad augendas & amplificandas immunitates
Civitatis pertinebit, id libenter, S. R. M. Dnus Cle-
mentissimus, de Regalis munificentia promptuario
de promere, & impetriri dignabitur, tutelamq; & pa-
trocinium Regale clementer Civitati pollicetur.

Jam vero dextram Suam Regiam, non minus vi-
ctoriis insignem, quam augusta pace Inlytam exoscu-
landam benigne Senatui Urbis porrigit, & Civitatis
Portarumq; claves, quas demisso officio S.ac Ser. Reg.
Mti consignarunt, reciproce S.R.M. constanti explo-
ratæque fidei ac custodiæ earum tradit & committit,
spe non dubia concepta, Magistratum, Civitatem
hanc quam à Majoribus optimis institutis & moribus
instructam acceperunt, non minus muris & vallorum
præsidio servaturum, quam justitia aliisque Civilibus
virtutibus, quæ potissimum fide constanti, & obsequio
perpetuo erga Reges vinciuntur, firmaturum.

Cum

Cum hæc omnia peracta essent, & S. R. M. præequitantibus per multis Regni Senatoribus, tum etiam proxime Senatu Civitatis præunte, in Urbem deducta Portæ triumphali appropinquaret, Aquilæ dux in summitate ejusdem positæ, subtili artificio stridentibus plis, & capitum inclinatione adeoque strepitu quodam, lætitiam quasi præ se ferentes, in omnes partes quo S. R. M. ibat circum agebantur. Angelus etiam sculptus è medio fornicis dependens serto laureo transgredientem S. R. M. coronabat, Symphoniæ interea vicibus alternis, summo cum jubilo canticum recinentibus. Postea cum S. R. M. ad forum pervenisset, denuo machinæ æneæ tormentaq; bellica in Propugna disposita, repetita fulguratione intonarunt. Æneatores alii penes Equitum cohortes ad ferrea tympana alacrem sonitum fecere, alij ex Tabulato Arcus triumphales tubis, gravis horridiusque suum tarantara insonuere. Descendentem tandem S. R. M. Equo, quo Curiam Civitatis Solis Regibus Poloniæ hospitandis destinatam, intraverat, totus Senatus debitâ reverentiâ, in interius conclave introduxit: ubi postmodum S. R. M. fenestrâ prospicienti, cohortes singulæ, tam Equestris quam pedestres iterata ter explosione sclopitarum, tubicinibus etiam strenue officium persequentibus, valedixere.

Descriptio Arcus Triumphalis, In honorem Sereniss. Regiae Majestatis erecti.



Ompositus is erat ad formam Insigniorum Civitatis tres Turres cum patente porta experimentum: Ante cuius ingressum ex utraq; parte arbores in terram defossæ appensos variis generis fructus, arte sculptoria fabre factos, & propriis coloribus distinctos gestabant. Stabant præterea in quatuor columnis ex utraq; parte adolescentes habitu Romano induiti, quorum singuli vexillum auro argentoque exornatum in manibus tenentes hoc quod illis inscriptum transeunte S. R. M. recitabant.

P R I M U S.

Maxime Rex salve, Rex Augustissime flore.

A L T E R.

Ingredere, en tibi Porta patet semperq; patebit.

T E R T I V S.

Vive, Jagellonio de sanguine surcule vive.

Q V A R T V S.

Vive valeque diu, O Fortunatissime Regum.

In prima Arcus turri versus plateam Culmens ad dextram, erexitur erat Leo exsurgens, Regni Svetici Einblema, sceptrum ungulis anterioribus tenens. Huic subscriptum PRÆSIDIO SUBDITIS: Ipsius autem Turri effigies ALEXANDRI Regis, infra eandem imago Regis SIGISMUNDI & inter has Aquila alba varia armorum genera sub pedibus habens, unoque pede lanceam seruo laureo infixam tenens additis verbis HIS TRIUMPHO, descripta erat. Inversa parte turris sub Leone hoc fuit TERRORI HOSTIBUS. Superiori ejus parti effigies VLADISLAI III. inferiori vero JOANNIS ALBERTI affixa, & in medio harum Aquila alba à Luna versus Solem volans, capite fertum unum laureum alterum ex foliis quercinis contextum ungulis pottans cum hac subscriptione SATIS INDE REPORTO depicta erat. Mediæ turris altitudini Aquila excere Cyprio facta totaque argento obducta, aliis ex pansis, coronam inauratam capite gestans imposita stabant: In cujus pectore clypeolum S. R. M. insignie hæreditarium referebat. Subscriptio ejus fuit REX INCLYTE SALVE similis huic videbatur descripta Aquila in ipsa turri, & quidem corolla laurea Aureoq; vellere circumdata. Tertiæ turris summitas sinistra, sustinebat Aquilam nigram quæ expansis alis coronam inauratam collo gerens, exinde brachium ferreum ense fulgido subiectis his verbis, PRO LEGE ET CREGE, exerebat. Ipsiæ turris in superiori parte effigiem SIGISMUNDI A. paulo inferius

SI-

SIGISMUNDI III. imaginem representabat. Aquila etiam inter has picta, coronam lauream uno pede, altero strictum gladium cum inscriptione TUEBOR, tenebat. Ejusdem turris altera partis sub Aquila intorta hæc verba fuere. PRO ARIS ET FOCS. In ipsa vero turri effigies VLADISLAI JAGELLONIS sub illa CASIMIRI III. locatae sunt. Intermedium harum obtinebat Emblema, Aquila nimirum candida in ære pendens uno que pede coronam lauream altero quercinam tenens è nubibus autem manus eminebat, quæ Aquilæ sertum tertium è variis floribus textum, adjectis verbis. SUCCEDAT TERTIA, porrigebat. Infra turres porro circum circa exstructum erat tabulatum elegans immixtis columnis ligneis marmoreo colore tintatis; Huic sustentando positæ quatuor Doricæ & quatuor Corinthiacæ majores Columnæ cum pedali suo fundamento terram usque attingentes, literis sequentibus aureis inscriptis, VICTORIAE, PACI, BONÆ SPEI, FAMÆ. Super portam versus plateam Culmens. sequentes versus graphice depicti legebantur.

VLADISLAE Tuæ Rex felicissime gentis
 Qualem JAGELLI non tulit ante Domus,
 Moschoviæ victis felici Marte triumphas
 Armis, victori quæ tibi victa dedit.
 Arma dedit supplex, & supplex foedera Pacis
 Obtinuit sancta perpetuanda fide.
 Non DEUS hoc voluit largiri providus unquam
 Quod nunc auspiciis fata dedere tuis,
 Idem perficiet Tua nec fortuna negabit.
 Quò tibi quod partum tu tuearis idem.

Versus Curiam vero sic exstabant.

VLADISLAE Tui Rex Augustissime Regni,
 Qualem non facile Lechica terra dabit.
 Dum tua Moschoviam victrix Fortuna peragat.
 Non dubitat bellum Turca movere ferox.
 Bellum, sed bellum, Regnoq; tibiq; decorum.
 Bellum quod Pacis bella trophæa tulit.
 Hinc capit ille tuus, quo non pugnator alter
 Ales in Imperio serta secunda tuo.
 Quod si perfectum trinum omne ; corona precamur
 Succedat trino tertia pro merito.

Ex medietate fornicis dependebat Angelus sculptus deauratus sertum recens laureum ambabus tenens manibus. In fornicis arcu effixi erant tres clypei & utraque parte portæ, in quorum uno versus plateam Culmensem tria Civitatis insignia in altero versus Curiam itidem tres clypei. *Aquila nempè candida Regni Poloniae, Aquila nigra Terrarum Prussiarum & insignia Regni Sveciæ cum tribus coronis depicti erant.* Ad latera præterea Portæ Triumphalis erectæ fuerunt duæ tabulæ, quarum altera quæ duabus figuris P A C I S & U B E R T A T I S erat inserta, talia continebat.

THORUNIA DE S.R.M. INGRESSU.

Rege VLADISLAO veniente THORUNA
 resulto.
 Rege VLADISLAO nil nisi lata paro.
 Re-

Rege VLADISLAO nondum præsente THORUNA.

Nil nisi tristis eram, nil nisi moesta fui
 Sæpius angebar minitantis imagine belli,
 Conscia Mavortis quam gravis ardor erat.
 Imprimis rapido, mihi rursus ab igne timebam
 Undique, qui muros cinxerat ante meos.
 Sed nunc adventu Regis recreata repelli,
 Credo pacifera talia posse manu.
 Illa nempe manu; dupliquæ parte quietum
 Reddidit imperium tertiet heic ut idem
 Annuat ô votis si Dia Potentia, Regis
 Annuat & factis hem mea salva salus?

*APOSTROPHE AD CIVITATEM
THORUNENSEM.*

Porta Borussorum, felix ô porta THORUNUM.
 Pande tuas portas: Rex VLADISLAUS adest.
 Ecce Trium Regum mercatu plurimus hospes
 Dum properat QUARTUS REX VLADELAUS adest.
 Dent sua, quæ donare solent, Trini tria Reges
 Quartum quod donet REX VLADELAUS
 habet.
 Pande tuas portas felix ô Porta THORUNUM
 Qui tibi det pacem REX VLADELAUS erit.

Secunda vero tabula huic è regione posita sequentia exprimebat.

VLA-

V L A D I S L A O Q V A R T O.

*Magnorum Majorum
Divorum Poloniae Regum*

SIGISMUNDI III. SIGISMUNDI II. SIGISMUNDI I.
ALEXANDRI III. JOHANNIS ALBERTI, CASIMIRI III,
VLADISLAI III. VLADISLAI JAGELLONIS.

S U R C U L O

PRINCIPI OPTIMO MAXIMO.

*Auspiciis Regis Regum
primum*

Legitima Successione

Svecorum, Gothorum, Vandolorum
HÆREDITARIO

mox

Liberis Liberæ Gentis vocibus

ELECTO AC DIADEMATO

P O L O N I A E R E G I,

Magno Duci Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ,
Masoviæ. Samogitiæ, Livoniæ, &c. &c.

Patri Patriæ,

Felici Pio Clementi,

Post res in Moschovia feliciter gestas, & tum ibi tum
paullo post cum Imperatore Turcarum,

Pace perpetim pacta,

Primariam hanc Civitatum Borussiæ,

Felici ac prospero tertiadæ pacis omne

I N G R E D I E N T I

S. P. Q. T.

Humili ac devota mente

P. P.

Anno quo

Prosper ThorVnlaM ReX VLADISLAVS InIVt.

Circa utramq; partem hujus tabulae erexitæ fuerunt duæ imægines Victoriam & Famam repræsentantes, quarum altera Fama nimirum tres tubas inflans, unâ confeetam Pacem Moschoviticam alterâ Turcicam nuntiavit, tertia vero emissis saltcm aliquot literulis Borussiæ etiam tranquillitatem ominabatur.

Sospitet hoc omen. DE US Ter. Opt. Maximus efficiatque ut S. R. M. Dominus noster clementissimus ea quæ fracto Septentrione devicto Oriente, trophæa bina, retulit, restituta huic etiam afflictissimæ Provinciæ Pace, tertiet, celebrandus per multa secula,

**Victor, Liberator, Triumphator,
Felicissimus, Glorio-
sissimus.**

